



Jus Canonicum In V. Libros Decretalium Distributum

novâ Methodo explicatum, Omnibus Capitulis Titulorum (qui in Antiquis, & novis Libris Decretalium continentur) promiscuè & confusè positis, in ordinem doctrinæ digestis. Adjunctis Aliis Quæstionibus Connexis, Quæ Ad Plenam Cujusque Tituli, Aut Materiæ Cognitionem, Et Expositionem Pertinent. ...

Respondens Libro Quinto Decretalium. In Quo De Judicio, Seu Ordine Judiciario criminali, nec non de criminibus Ecclesiasticis, & secularibus ... agitur ...

Pirhing, Ehrenreich

Dilingae, 1677

Titulus. VIII. De Schismaticis, & ordinatis ab eis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98302](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98302)

consilij, seu processus huiusmodi ipsis sub secreto ab Episcopis, vel Inquisitoribus manifestata, sine licentia eorundem, alijs patefecerint, excommunicationis sententiam promulgare (si eis ita expedire videbitur) quam ob violationem secreti, ipso facto, incurrunt: sic tamen ut Inquisitores Episcopum, vel Episcopus Inquisitores hac de causa non excommunicent, sed ipsi ex vi tute S. obedientie ad secretum teneantur. Cessante vero periculo supra dicto, accusatorum, & testium nomina publicentur, sicut in alijs Iudicijs fit, juxta c. Qualiter. 24. §. Debet de accus. ita precipitur in cit. c. ult. §. Et ut eorundem.

CLXIV. Similiter in §. Ceterum. precipitur Episcopis, & Inquisitoribus, ut ubi est securitas, non dicant esse periculum, & sic accusatorum, & testium nomina supprimant: nec ubi est periculum, dicant esse securitatem, & sic nomina eorum evulgent, seu publicent, super quo eorundem conscientie onerantur. Denique in §. fin. additur, ut Constitutiones, ordinationes, & mandata SS. Pontificum, in negotio hæreticæ pravitate facta, aut data, quæ supra dictis Constitutionibus non contradicunt, in suo robore permaneant.

Hinc colligitur primò. Quòd in crimine hæresis recipiuntur testes, & juramenta, ac depositiones eorum, etiam parte, contra quam deponunt, absente, & non citatâ: nec sunt publicanda nomina testium, & accusatorum, si ex publicatione eorum timeatur grave periculum personis, aut bonis ipsorum accusatorum, vel testium, aut consanguineis eorum imminere, propter potentiam inquisiti, quia accusatus de hæresi habet potentes amicos, qui possent vexare, aut molestare Accusatorem, vel testes, vel eorum consanguineos, Gl. in cit. c. ult. in casu. Franc. ibid. §. Jubeant. not. 1. Farinac. rr. de hæres. q. 188 §. 5. n. 7.

9. & 10. ubi n. 12. ait, de consuetudine in Inquisitionis indistinctè non publicari Accusatoris, & testium, etiam ab Inquisitore.

CLXV. Postremò duo adhuc supernones, qui in hoc Tit. habentur; nam in C. nostrum. 3. h. 1. damnatur secta Beguinarum Beguinarum commorantium in Alemania, & probantur octo eorum errores, qui in tercententur, & legi possunt. Et precipitur, ut celsani, & Inquisitores hæreticæ pravitate vitam, & conversationem inquirant, ut sentiant de articulis fidei, & Ecclesiæ Sacris, suumque officium in illos exerceant, culpabiles fuerint reperti, debet puniri, & juratis spontè prædictis erroribus, penitus, & competentem satisfactionem præstiterint.

Præterea in Extravag. Vaselectionis. 2. munes h. 1. damnat Joannes XXII. tres annis de Poliaci Doctoris Parisiensis citamentum penitentia. Primus est, quòd Fratribus (scilicet Religiosis Mendicantibus) licentiam generalem audiendi Confessiones, teneantur eadem peccata iterum Sacerdoti confiteri. Secundus est, quòd hæretico c. Omnis utriusque sexus. 12. de penit. 2. quod est delictum ex Concilio Laterano Innocentio III. c. 21. Papa non potest facere Parochiani non teneantur, omnia peccata semel in anno, proprio Sacerdoti, id est, Curato, rochiali, confiteri. Tertius, quòd nec PAPA potest dare generalem potestatem audendi Confessiones alicui, ita ut confessus non teneatur eadem peccata iterum confiteri proprio, seu Parocho. Ipse verò Auditor non teneatur, quia hos errores se publice revocavit.

T I T V L V S VIII.

DE SCHISMATICIS, ET ORDINATIONIS AB EIS.

Post hæreticos agitur de schismaticis, quia schisma non rarè est conjunctum cum hæresi, & schismatici plerumque etiam incidunt in hæresim, ut suum cohonestent, & defendant. Extat hic Titulus etiam in Sexto, & in travagantibus communibus.

§. I.

Quid sit schisma, & quomodo ab hæresi differat, & qua sint pœna jure decreta in schismaticos?

I. ASSERTIO 1. Schisma est scissura, sive disjunctio, per quam quis se ab unitate Ecclesiæ separat, in quantum ea est quoddam Corpus Mysticum, ex universis fidelibus, & Romano Pontifice tanquam Capite constans, prout ex S. Thom. 2. 2. q. 39.

1. definiunt communiter DD. Constituit unitas Ecclesiæ, tum in conversatione, seu in nione membrorum inter se; tum in ordine, seu in Capite, quod est Christus, cujus vices gerit Pontifex, scilicet ut in una fidei doctrina, cultura, & in spiritali regimine omnes fideles sint uni Capiti Ecclesiæ, nempe Romano Pontifici, proinde schismaticus est, qui subesse renuit Romano Pontifici, & membris Ecclesiæ illi subiectis communicare recusat, Silvest. in Summ. 7. Schismaticus. princ. Sanch. l. 2. Mor. c. 36. n. 1.

II. ASSERTIO 2. Schisma differt ab hæresi, quia hæresis per se, ac directè opponitur

ejus doctrinam negando: schisma verò charitati repugnat, Ecclesiae unitatem, quæ in charitate consistit, scindendo, *S. Thom. c. l. Silvest. c. l. q. 1. Sanch. c. l. n. 7. & 8. Farinac. tr. de hæres. q. 184. §. 1. n. 5. 2. Differunt inter se, sicut genus & species, ut docet Gl. in c. Inter hæresim. 26. caus. 24. q. 3. V. Et schisma: nam omnis hæreticus est etiam schismaticus, sed non vice versa: quamvis sub diversis rationibus, idem sit hæreticus, & schismaticus: hæreticus quidem, quatenus falsum dogma, & Ecclesiae doctrinæ contrarium credit: schismaticus verò, quatenus ab Ecclesiae unitate recedit, & se separat, erroneam doctrinam sectando. Non tamen omnis schismaticus est hæreticus, quia potest quis omnes articulos, quos Ecclesia proponit credendos, amplecti, etiam credendo supremam potestatem Papæ & Primatum, sed ex malitia, seu prava voluntate nolle ipso facto Papam pro Capite Ecclesiae agnoscere, & ejusque obedientie se subijcere, nec aliis membris Ecclesiae uniri seu conjungi. Priore casu, schisma est conjunctum cum hæresi, quia habet in intellectu errorem contra fidem: posteriore casu, sine hæresi, quia non habet talem errorem contra fidem, *S. Thom. c. l. ad 3. Silvest. c. l. Sanch. c. l. n. 8. 3. Differunt schisma & hæresis, quia schisma est via ad hæresim: sicut amissio Charitatis ad amissionem fidei: nam schismaticus, saltem in fine fingit hæresim, ut rectè ab Ecclesia recessisse videatur, *S. Th. c. l. Silvest. c. l.***

III. Hinc colligitur 1. duplici modo schisma fieri posse. 1. Si quis se à Capite Ecclesiae, cæterisque membris separare velit. 2. Si vel à solo Capite, vel à solis membris Ecclesiae se separare intendat. Tunc autem dicitur separari à Capite, quando quis renuit subesse sive subijci Romano Pontifici, tanquam Capiti Ecclesiae: ab aliis verò Ecclesiae membris separari dicitur, quando quis spirituales Ecclesiae actiones exercere vult, v. g. orare, Sacramenta recipere, non ut pars Ecclesiae Catholice, sed seorsim ab illa, quasi per se esset totum quoddam separatum, *Sanch. c. l. n. 2. Farinac. c. l. n. 3.*

Colligitur 2. Tripliciter potest quis non parere vel præcepto S. Pontificis. 1. Ex parte rei præcepti, ut si nolit Papæ aliquid præcipienti obedire, v. g. arma deponere, alienum restituere &c. licet aliàs ipsum recognoscat, tanquam Superiorem & Caput Ecclesiae: & talis non est propriè schismaticus: sed solum inobediens, alioquin transgrediens quodlibet præceptum Ecclesiae esset schismaticus. 2. Ex parte personæ præcipientis, ut si quis Papæ non obtemperet, eo quod persona ipsius sibi sit suspecta vel odiosa, & neque talis est propriè schismaticus. 3. Ratione officii ipsius Papæ, si quis recusat ipsi subesse & obedire, quatenus vices Christi in terris gerit, & Caput est Ecclesiae: & hic verè ac propriè est schismaticus: sicut & ille, qui non vult sese Ecclesiae membris conjungere, quatenus Ecclesiae membra & partes sunt, *Silvest. V. Schisma post princ. Azor p. 1. l. 8. c. 20. q. 4. Sanch. cit. c. 36. n. 3.* Quare qui non vult subesse Romano Pontifici, eo quod probabiliter existimet, illum non esse legitimum Papam, non est schismaticus, quia renuit subesse & parere huic personæ, quam non habet pro legitimo Pontifice, *Azor c. l. Sanch. c. l.*

Colligitur 3. Is, qui se à quolibet alio Episcopo

Tomus V.

po, etiam quatenus talis est, separat, recusans subesse auctoritati Episcopali, vel à solis membris particularis Diocesis & Ecclesiae, dicitur schismaticus, sed non nisi largè & improprie, ut patet ex c. Scire. 7. caus. 7. q. 1. c. Loquitur. 18. caus. 24. q. 1. quia verè ac propriè dictum schisma importat separationem ab Ecclesia Catholica seu universali, ejusque Capite, *Azor c. l. q. 4. Sanch. c. l. n. 6.*

IV. ASSERTIO 3. Pœna schismaticorum prima est, excommunicatio latae sententiæ: nam hodie in Bulla Cœnæ Domini in prima excommunicatione, excommunicantur omnes schismatici, & ij, qui se à Romani Pontificis obedientia pertinaciter subtrahunt, vel recedunt.

Ubi notandum primò, Hanc excommunicationem non incurrunt, nisi propriè dicti schismatici, qui ab obedientia Papæ pertinaciter recedunt, ut Papa est, & Christi Vicarius, ac proinde qui non in una tantum vel altera re, sed simpliciter & generaliter non recognoscit, ut Superiorem & Vicarium Christi, *Azor p. 1. l. 8. c. 20. q. 5. Suar. dis. 21. de censur. sec. 2. n. 12. & 13.* ejusque absolutio est reservata S. Pontifici, *Sanch. c. l. n. 11.* Sufficit autem ad hanc excommunicationem incurrendam, si quis aliquo opere exteriori ita se gerat, ac si Papæ non esset subiectus, nec Ecclesiae pars, quamvis mente fidem retineat, & ut Vicarium Christi, seu Caput Ecclesiae Papam agnoscat: licet aliud sit de hæresi. Ratio discriminis est, quia schisma perficitur ac consummatur per solum actum externum; hæresis verò necessariò errorem intellectus requirit, unde Catholici in Anglia, qui exterius profitentur Regem, tanquam Caput Ecclesiae in spiritualibus, sunt verè schismatici, & hanc excommunicationem incurrunt, *Sanch. c. l. n. 14.* non tamen etiam schismatici incurrunt hanc excommunicationem, si schisma mente solum retineant, sed opus est, ut verbis, factis, vel alio signo externo illud manifestent, cum ob solum actum internum nulla excommunicatio incurri possit, *Sanch. c. l. n. 15.*

Notandum secundò. Sed neque receptatores, fautores vel defensores schismaticorum hanc excommunicationem Bullæ incurrunt, quia id non est expressum, nisi quoad hæreticos, adeoque non debet extendi ad adjuvantes, nisi exprimantur, quia verba pœnalia strictè intelligenda sunt, *Suar. cit. dis. 21. sec. 2. n. 14. Sanch. c. l. n. 16.*

Notandum tertio. Spectato Jure communi antiquo, schismatici sive hæretici, non sunt excommunicati, ipso jure, neque absolute & universim, sed solum in casu aliquo particulari, ut in c. Licet. 6. de Elect. Ubi fertur excommunicatio in eum, qui electus est in Papam à tertia solum parte Cardinalium, & ei adherentes, alio electo à duobus partibus, *Azor cit. c. 20. q. 6. Suar. dis. 23. de censur. sec. 3. n. 2.*

V. Secunda pœna schismaticorum est, inhabilitas ad beneficia & dignitates Ecclesiasticas, præsertim dignitatem Episcopalem, etiam post peractam pœnitentiam, seu postquam abjurato schismate, ad unitatem Ecclesiae sunt reversi, prout sumitur ex c. Quia diligentia. 5. de Elect. Ex quo constat, quod qui ex schismate ad Ecclesiae unitatem reversus est, ad Episcopalem dignitatem promoveri non debet, sine dispensatione Papæ, dummodo electus ille à schismatico

matico Episcopo nullum Ordinem acceperit, & alias idoneus sit, ut dictum supra l. 1. Tit. 6. n. 107. In qua irregularitate solus Papa dispensare potest, nisi crimen schismatis esset occultum, tunc enim in eo posset dispensare Episcopus ex vi Concilii Trident. Sess. 24. c. 6. de reform. Ubi conceditur Episcopis potestas dispensandi in casibus, & irregularitatibus occultis, *Azor c. l. q. 8. Sanch. c. l. n. 18.* quamvis *Garc. de Benef. p. 11. c. 10. n. 162.* putet, schismaticum occultum non incurere hanc irregularitatem.

VI. Tertia poena est, quod schismatici privandi sunt omnibus beneficiis, officiis, honoribus, dignitatibus, & Prælaturis perpetuo, & redduntur inhabiles ad illa habenda, cunctis eorum bonis, mobilibus & immobilibus, iuribus & jurisdictionibus publicatis, prout habetur expressum in *6. Ad succidendos unic. h. r. in 6.* Ubi id statutum fuit de duobus Cardinalibus schismaticis, qui propter schisma Cardinalatu privati sunt, quia elegerunt quendam in Romanum Pontificem, cum scirent, alium fuisse canonicè electum, ut notat *Gl. ibid. in casu.* Non solum autem ipsi, sed etiam agnati, & filii ac posterii eorumdem per masculinam, & femininam lineam descendentes redduntur indigni seu inhabiles ad Cardinalatum, & quælibet officia, beneficia, & ministeria, in Ecclesia Romana, & extra illam, usque ad quartam generationem, *cit. c. unic. §. Contra natos.* Item præstantes eis auxilium, consilium vel favorem, incurrunt, ipso facto, sententiam excommunicationis, *cit. c. un. §. Omnem.* & in fine additur, ut similes excessus & culpæ similibus poenis impostero puniantur.

VII. Verum Constitutio hujus cap. & processus, ac sententiæ in eo latæ per Bonifacium VIII. contra Jacobum, & Petrum de Columna, tanquam schismaticos, qui antea erant Cardinales, & eorum agnatos, postea revocata fuit à Benedicto XI. in Extravag. *Dudum unic. h. t. inter communes,* exceptis bonis confiscatis, & jam aliis applicatis.

VIII. Cæterum illud hic addendum, nullam Jure Canonico statutam esse poenam privationis beneficiorum ante schisma obtentorum, quæ ipso jure incurratur, quia in *cit. c. Quia diligentia. §. de Elect.* sermo est de sola inhabilitate ad acquirenda beneficia. In *can. Verò nos consuetudinem. 8. dist. 12.* qui loquitur de hæreticis Donatistis, solum statuitur, ut servetur antiqua consuetudo, ne hi ad Episcopatum admittantur: non ergo ibi agitur de schismaticis, *Sanch. cit. c. 36. n. 19.* Sed neque irregularitatem aliquam incurrunt schismatici, ita ut ad Ordines promoveri non possint, etiam postquam per poenitentiam ad Ecclesiam redierint, ut docet *Azor cit. c. 20. q. 8.* quia id nullo jure probatur, nisi schisma fuerit notorium, tunc enim irregularitas aliqua generalis contrahitur, quæ ex quovis crimine notorio, & enormi ac depositione digno oritur, & cessat, ablata infamia per poenitentiam, *Sanch. cit. c. 36. n. 20.*

Farinac. cit. q. 184. §. 2. num. 42.
in fine.



§. II.

An ordinationes, aliquæ actus gesta per schismaticos sint validæ, quam poenam iuris incurrant qui à schismaticis Ordines receperunt?

IX. ASSERTIO I. Ordinationes schismaticis, & ab ordinatis ab eis sunt irritæ licet quantum ad executionem, & qui acceptæ dignitates Ecclesiasticas, vel beneficia à schismaticis, careant impetratis. Alienationes quoque actus per schismaticos, vel per Laicos de rebus Ecclesiasticis sunt invalidæ, & ad Ecclesias, omni onere revertantur. Si quis autem prædicta facere præsumperit, excommunicatur sub jaceat, si sit excommunicatus. Illi vero, sponte juramentum de tenendo schismatico præterint, à SS. Ordinibus, & dignitatibus sunt privati, prout statutum est in *c. Quod à prædictis h. r. & ibi Gl. V. Irritas.* quod est de lumen præcilio Lateranensi sub Alexandro III. c. 1. & 2.

X. Ubi notandum primò. Quamvis Canonibus habeatur, quod extra Ecclesiam tuti nihil habeant juris, seu potestatis spirituales, *Novitiani. 6. caus. 7. q. 1. c. Didicimus. 2. caus. 24. q. 1.* distinguendum tamen est inter statum Sacramentalem Ordinis, & potestatem dictionis, ut docet *S. Thom. 2. 2. q. 39. art. 3.* Nam Episcopus schismaticus verè, & valèdè risticam consecrat, & verè Confirmationis Sacramentum, & Ordinis confert, dummodo in forma sua illa conferat, ita ut Characterem ab eo non confirmati, & ordinati, non tamen utramque executionem Ordinis, quia eam non habet, nec dare aliis potest, cum tam conferentes à sacramento Ordinis, quam suscipientes ab executione Ordinis sint suspensi, ipso jure, si sciantur Episcopo schismatico Ordines suscepisse, *Gl. c. 1. V. Irritas.* Similiter Episcopus schismaticus consecrat Tempia, Altaria, & vasa ad divinum deputata, ita ut consecratio repeti non debet, quia hæc sunt Ordinis: quamvis autem Episcopus Ecclesie institutione competant, non tamen Episcopus schismaticus licet hæc facit, cum sit ipso jure suspensus hujus potestatis suspensus, *Azor p. 1. l. 1. q. 2.* At verò potestatem jurisdictionis spirituales, nec licet schismatici exercere possint, nec nequeunt absolvere à peccatis, nec excommunicatos leges ferre, nec alienare res Ecclesie, nec beneficia concedere, nec beneficia conferre, nec gerere, saltem si sint nominatim denunciati, de quibus *S. Thom. c. l. & Azor.*

Notandum secundò. Quamvis actus à hæretico, vel schismatico, in præjudicium Ecclesie non valeant, quia dum Ecclesia talem Prælatum, vacare censetur, c. 1. de præscript. quod tamen Prælatum acquisivit in commodum Ecclesie, nec, quia quod favore alicujus introductum est, convenit in ejus læsionem retorqueri, l. Quod de 6. C. de legib. Gl. fin. in cit. c. 1. h. h.

XI. ASSERTIO 2. Ordinatus ab Episcopo schismatico ab officio poterit incontinenti repelli: nisi legitime probaverit, cum ipso fuisse misericorditer dispensatum, & ab eo, qui super hoc habuerit potestatem dispensandi, prout statuit Innocentius III. in c. *Fraternitati*. 2. & ult. h. t. Ubi quædam sunt notanda 1. nomine schismatici hic intelligitur, qui strictè ac propriè est schismaticus, nam ordinatus à schismatico latè accepto, qui non obedit Papæ aliquid præcipienti, non est repellendus ab officio, sive ab usu, & executione Ordinis, Abb. h. n. 1. not. 1. Deinde intelligi debet de Episcopo schismatico, qui publicè, & nominatim est denunciatus, juxta Extravag. Constantensem ad evitanda, nam qui à tali Ordine suscepit, suspensus est ab usu, & executione Ordinis, ut colligitur ex hoc c. Laym. in c. *Quia*. 5. n. 3. de Elect.

Notandum secundò. Quando in cit. c. 2. h. t. dicitur, quòd ordinatus à schismatico possit ab officio repelli, supplendum est, & debet, quia ordinatio fuit irrita, quoad executionem, sive exercitium Ordinis, cit. c. 1. & ibi Gl. V. Irritas, h. t. vel poterit re-

pellì ab officio, nisi Archiepiscopus cum ipso voluerit dispensare, Abb. in cit. c. 2. in fine.

Notandum tertio. Qui asserit, secum dispensatum esse, id legitime probare debet, & quòd is, qui dispensavit, habuerit potestatem dispensandi, aliàs nihil actum fuisset, prout sumitur ex cit. c. 2. & ibi Gl. V. Potestatem, & Abb. n. 2. h. t. ubi ait, quòd quando dispensatio facta est ab eo, cui facultas dispensandi jure speciali solum competit, debeat dispensatus petere ab eo non tantum litteras dispensationis factæ, sed etiam copiam authenticam potestatis dispensandi specialiter concessæ.

Notandum quartò. Cum eo, qui scienter, vel ex crassa, & supina ignorantia ordinatus fuit ab Episcopo schismatico, solus Papa dispensare potest, arg. cit. c. *Quia diligentia*. 5. & ibi Laym. num. 3. de Elect. cum eo verò, qui ex ignorantia inculpabili Ordines suscepit, quia probabiliter nescivit, Ordinantem fuisse schismaticum, etiam Episcopus dispensare potest, Gl. in cit. c. 2. V. Potestatem, & ibid. Abb. n. 7. licet in simili distinguitur in c. 1. de Ordin. ab Episc. qui renunt. & c.

T I T V L V S IX.

DE APOSTATIS, ET REITERANTIBUS BAPTISMA.

Affine crimen hæresi, & schismati est Apostasia, quamvis gravius utroque, ideoque postquam de hæreticis, & schismaticis actum est, subjungitur hic Titulus de Apostatis, & de reiterantibus baptismum, quia hi, dum recedunt à priore baptismo, per reiterationem quasi apostatare videntur, Abb. h. n. in Rubrica.

§. I.

De Apostasia in genere, & in specie
de apostasia a fide, eiusque
pœnis.

QUÆRITUR primò. Quid sit apostasia in genere, & quot sint ejus species? Resp. Apostasia ex vi nominis importat quandam defectionem, sive recessum à Deo, ut docet S. Thom. 2. 2. q. 12. art. 1. in corp. adeoque Apostata est Christianus, qui à Deo temerariè recessit: unde tres sunt apostasie species, una perfidiæ, per quam à fide receditur; altera inobedientiæ, cum quis jussis præceptis Prælatorum obedire penitus recusat, cujus præcipua species est schisma, de quo tit. præced. Laym. l. 2. tr. 1. c. 16. n. 1. in fine. item si quis SS. Canonibus, & Dei præceptis non obedit ex superbia, vel contemptu, c. 1. caus. 3. q. 4. c. 2. de majorit. & obed. Farinac. cit. tr. q. 183. §. 5. n. 54. Tertia species est apostasia irregularitatis, per quam receditur ab Ordine sacro suscepto, vel à Religione, quam quis professus est, S. Thom. 2. 2. q. 10. art. 1. in corp. Gl. in c. 1. V. Apostasia. h. t. Hostiens. in summan. 1. & 2. eod.

II. Quæritur secundò. Quis sit, & dicatur apostata à fide, & quæ sint in eum pœnæ decretæ?

Resp. primò. Apostata à fide ille dicitur, qui in totum à fide Christi recedit, sive totaliter eam deserit, ut si Christianus efficitur Judæus aut Turca, l. 1. & 2. c. de apostat. c. Non potest. 24. caus. 2. q. 7. Farinac. tr. de hæres. q. 183. §. 2. n. 13.

Ubi notandum primò. Apostasia à fide est species infidelitatis, sed non essentialiter distincta ab hæresi, sed solum nomine, & accidentaliter, quia Apostata est verè hæreticus, à quo in eo solum distinguitur, quod hæreticus ex parte solum deficit à fide Catholica, unum aut aliquos tantum articulos fidei negando, non tamen totam fidem: Apostata verò in totum recedit à fide, sive omnino eam deserit: at major, vel minor recessus à fide, quam quis semel est professus, speciem non mutat: & licet Apostata fiat paganus, sive gentilis, vel Judæus, non tamen ideo desinit esse hæreticus, quia contradicit fidei Christianæ, & Catholicæ, quam antea reipsa professus est, in quo differt à pagano, sive gentili, qui negat fidem Christianam, quam antea nullo modo suscepit: à Judæo verò talis differt, quia hic contradicit fidei Christianæ, quam in typis, umbris, & figuris antea receperat, & tenuerat, non autem reipsa, Aror p. 1. l. 8. c. 21. Quare apostasia non est species essentialiter distincta à cæteris speciebus infidelitatis, sed tantum addit circumstantiam valde notabiliter aggravantem pravitatem, seu deformitatem infidelitatis, ut docet S. Thom. 2. 2. q. 10. art. 3. Et hinc etiam idem 2.